Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26568
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tabatur castitas consumavit. Et ornata fuit rubea
veste per quam sustinentia martyrii designatur. Cum ergo Quin-
tianus ad sacrificandum inducere non posset, iussit eam ala-
pis cedi. Deinde ad carcerem duci, ad quem letissima et glo-
rianti ibat, ac ut ad epulas invitata agonem suum do-
mino commendabat. Sequenti die dixit ei Quintianus: Abne-
ga Christum et sacrifica diis nostris. Quod cum renuisset, iussit eam
in eculeo suspendi et torqueri. Dixitque Agatha: E-
go in istis penis delector sicut qui bonum nuntium audit,
aut qui videt quem diu desideravit, aut qui multos the-
sauros invenit. Tunc iratus Quintianus iussit eam in mamil-
la torqueri. Cumque torqueretur, dixit ei: Impie crudelis ty-
ranne, non es confusus amputare in femina quod in matre ipse
suxisti? Tunc iterum iussit eam incarcerari, prohibens ingres-
sum medicorum, et panem et aquam fecit ministrare. Et ecce
circa mediam noctem venit ad eam quidam senex quem antecede-
bat puer cum lumine, diversa ferens medicamina, et dixit
ei: Licet te proconsul torserit nimium, tamen m[…] sanitatem re-
cipe pateris. Cui Agatha: Medicinam carnalem
corpori meo numquam exhibui. Cui senex: Christianus
ego filia sum, ne verearis. Cui Agatha: Et unde ve-
cundari possum, cum sis senex et ego crudeliter lacerata
ut nemo de me possit temptare. Cui senex: Et quare
non permittis ut ego curem te? Cui illa: Quia habeo dominum
Ihesum Christum qui solo verbo restaurat universas infirmi-